

## CAPUT II.

## DE BIBLICA CHRONOLOGIA (1)

Breviter dicemus primum de temporis divisione apud Hebraeos, aliosque orientales recepta, tum de praecipuis epochis in Scriptura memoratis ac de discrepantia quae circa illas occurrit in textu Hebraico, Samaritano et Graeco Pentateuchi, denique prospectum chronologicum praecipuorum eventuum historiae biblicae dabimus secundum communem textus hebraici et Vulgatae Latinae chronologiam.

## ARTICULUS I.

## DE TEMPORIS DIVISIONE IN S. SCRIPTURIS

Tempus Hebraei alique Orientales ut nos dividebant in horas, dies, hebdomadas, menses et annos, praeter longiores annorum periodos. *Horae* (שעות, שעה) primum in Scripturis nominantur Dan. III, 6, 15, IV, 6, 30, V, 5 et Tob. XI, 14 quas quidem Hebraei primo per gnomonem solarem (4 Reg. XVIII, 9 seqq.) deinde etiam per clepsydram computabant. Horas diei naturalis, idest ab ortu solis ad occasum numerantur duodecim, saltem aetate Christi unde illud Io. II, 9: « Nonne duodecim sunt horae diei? » quapropter horae istae modo longiores, modo breviores erant pro varia anni tempestate. Rursus diem naturalem in quatuor partes aequales dividebant quae appellari possunt horae maiores, et sin-

(1) Ex innumeris poene auctoribus qui de Chronologia antiquae historiae scriperunt satis erit laudare sequentes: Iac. Usserius: *Annales Veteris, et Novi Testamenti*; D. Potavius, cuius duo sunt insignia opera chronologica alterum maius: *De Doctrina temporum*, alterum minus quod inscripsit: *Rationarium temporum* (Secunda Pars, quam *technicam* vocat, elementa chronologiae subtiliter et accurate tradit); H. Sanclementi: *De Vulgaris aerae emendatione*; In specie pro Chronologia Textus hebraici et Vulgatae P. Le Quien: *Antiquitas temporum destructa* (adversus P. Pezron); quam reperies etiam in *S. Scripturae cursus completus* ab Migne. To. 3.

gulae tres horas minores comprehendebant; dicebantur autem *prima, tertia, sexta et nona* de quibus saepe est mentio ubi de oratione agitur (Dan. VI, 11, Act. II, 15, III, 2, X, 9). Item nox naturalis in duodecim horas dividebatur (Act. XXIII, 23), et rursus in quatuor horas maiores, quae in N. T. appellantur *vigilia prima, secunda, tertia et quarta*, vel propriis nominibus: *sero, media nox, galli cantus, mane* (Mar. XIII, 35).

*Dies* in Scripturis alius est civilis vel sacer, alius naturalis. Dies civilis et sacer iuxta legem Moysi computabatur a vespera ad vesperam diei sequentis (Lev. XXIII, 32): vesperae autem duae erant partes, altera ad occasum solis, altera ingruentibus tenebris (1). Hinc intelligitur quid significet phrasin *inter duas vespere* (Ex. XII, 6 iuxta Hebr.) quo tempore agnus paschalis immolandus erat. Dies autem naturalis ab ortu solis usque ad ortum diei sequentis: denique dies, seu tempus lucis ab ortu solis usque ad occasum computabatur, et primitus in sex partes seu tempora distinguebatur, quae erant: *Aurora, mane, calor diei, meridie, ventus diei et caesera*; deinceps vero post captivitatem Babylonicam in duodecim horas minores dividi coepit, ut supra vidimus.

*Hebdomada* spatium erat septem dierum apud Hebraeos et apud alias gentes receptum, cuius origo a Cosmogonia repetenda est, ut clare affirmatur Ex. XX, 8-11: ultimus dies quieti dabatur ac *Sabbatum* (שבת *requies*) vocabatur. Hinc vero factum est ut in N. T. tota hebdomada sabbatum vocetur, iuxta illud pharisaei gloriantis Luc. XVIII, 12: « Ieiuno bis in sabbato » idest, in hebdomada: sex vero feriae priores inde dicebantur *prima sabbati, secunda sabbati* etc. unde illud Matth. XXVIII, 1: « Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati » idest, nocte sabbati proprie dicti cum inciperet lucescere prima sabbati, seu prima feria hebdomadae sequentis, quae respondebat nostro diei dominico. Notum est enim a Christianis diem quietis eum electum fuisse in quo Christus resurrexit, relicto Hebraeorum Sabbato.

Praeter hebdomadas dierum in V. T. nominatur *hebdomada hebdomadam*, idest, periodus septem hebdomadam, seu 49 dierum

(1) Ita legem explicabant Caraitae doctores. Verum Rabbanitae et Pharisaei primam vesperam inchoari dicebant tempore medio inter meridiem et occasum, secundam vero occidente sole.

Paschate usque ad Pentecosten, quod ideo dicitur *festum hebdomadam* (Deut. XVI, 9 seq.). Item hebdomadae annorum de quibus infra.

*Menses, et anni.* Horum mensuram naturaliter hominibus prae-buerunt sol, et luna (Gen. I, 14), ille quidem suo apparent cursu per zodiacum, quo annus naturalis definitur, haec autem per suam revolutionem circa terram, quo primum menses distincti fuerunt apud omnes gentes: hinc est quod apud Hebraeos eadem vox יָרֵחַ et lunam et mensem significat, idemque plus minus fit in lingua graeca, in linguis familiae germanicae et aliis. Quoniam vero periodus lunaris minus quam triginta diebus absolvitur necesse fuit mensibus lunaribus vel aliquod dies addere, ut Aegypti, Graeci et Romani fecerunt, vel tertio quoque anno ad annum complendum, alium mensem intercalare, ut apud Hebraeos factum est.

Nomina mensium hebraicorum sunt sequentia.

1. *Nisan* נִסָּן, antea dictus *Abib* אֲבִיב, qui incipit a novilunio Aprilis Ex. (XII, 2, Neh. II, 1).
2. *Ziv* זִיב dictus etiam *Iar*, incipiens a novilunio Maii (Reg. VI, 1).
3. *Sivan* סִינָן a novilunio Iunii (Hesth. VIII, 9).
4. *Tammuz* תַּמּוּז incipiens a neomenia Iulii.
5. *Ab* אָב a novilunio Augusti.
6. *Elul* אֱלּוּל a novilunio Septembris.
7. *Tisri* תִּשְׂרִי olim dictus *Ethanim* אֵיתָנִים a novilunio Octobris (3 Reg. VIII, 2).
8. *Marhescavan* מַרְחֶשְׁבָּן olim dictus *Bul* בּוּל incipiens a novilunio Novembris (3 Reg. VI, 28).
9. *Caslev* כַּסְלֵו a novilunio Decembris (Zach. VII, 1, 2 Mach. I, 9).
10. *Tebeth* תֵּבֶת a novilunio Ianuarii (Esth. II, 16).
11. *Schebath* שֶׁבֶת a novilunio Februarii (Zach. I, 7).
12. *Adar* אֲדָר a neomenia Martii (Esth. III, 7).
13. *Veadar* וְאֲדָר idest, *Adar bis*, mensis intercalaris, qui tertio quoque anno addebatur (1).

(1) Aegyptiorum menses hisce nominibus nuncupabantur: *Tot, Tauphi, Athyr, Chejac, Tybi, Mechir, Phamenoth, Pharmuthi, Pachon, Payni*

Hinc apparet quomodo *annus* se haberet apud Hebraeos, scilicet annus communis duodecim mensibus constabat (1 Par. XXVII, 1-13), annus autem intercalaris, seu tertius quisque annus, tresdecim habebat menses. Initium vero anni diversum erat pro usibus sacris ac pro civilibus. *Annus sacer* incipiebat a mense Nisan, in memoriam exitus Hebraeorum ab Aegypto, et primi Paschatis eo mense celebrati, iuxta illud Ex. XXII, 2: « Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. » *Annus vero civilis* incipiebat a mense Tisri, seu septimo mense anni sacri post exactam messem et vindemiam, et conditas fruges (Ex. XXIII, 16, XXIV, 22).

Ad annorum periodos referendae sunt *hebdomades annorum*, seu periodi annorum septem, et *hebdomades hebdomadam annorum* seu spatium 49 annorum. De his sermo est Lev. XXV, ubi agitur de anno *Sabbatico* (v. 4) ad imitationem septimi diei hebdomadae, et de anno *Iubilaei*, seu quinquagesimo v. 8 seqq. (1). Eodem sensu certissime intelligendae sunt septuaginta hebdomades apud Danielem IX, 24 seqq., pro spatio scilicet annorum 490 ab edicto reaedificationis Ierusalem, usque ad novae legis promulgationem per Christum: quod spatium secundum probabiliorum sententiam incipit ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani quum facultas Nehemiae concessa est novae Ierosolymae moenia extruendi.

*Epiphi, Mosori*, Persarum vero menses sunt *Pharavardim, Adaryabasct, Chardad, Tirmeh, Merdedmeh, Sciaharimeth, Meharmeth, Abnemeh, Adameth, Dimeh, Benmeh, Asphandar* qui omnes dierum triginta sunt, et ad implendum numerum dierum ultimo mensi addebantur quinque dies ideo dictas *epagomenas*.

(1) Lev. XXV, 4: « Septimo autem anno sabbatum erit terrae, requiescentis Domini: agrum non seres, et vineam non putabis. » et v. 8 seqq.: « Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quae simul faciunt annos XLIX... Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae: ipse est enim Iubilaeus. »

## ARTICULUS II.

## DE VARIIS CHRONOLOGIAE SACRAE AERIS ATQUE EPOCHIS

Appellatur a Chronologis *aera* illustre aliquod exordium, ex quo anni computari solent: *epochae* vero insignes quidam eventus qui varia veluti spatia historiae distinguunt, et memoriae iuvandae factorumque ordini intelligendo apprime inserviunt.

Aeram proprie dictam Hebraei nullam adhibuerunt in annis computandis, nisi in postrema aetate, ubi gesta Machabaeorum, secundum aeram Graecorum idest Seleucidarum computantur, licet haec diverso modo in utroque libro Machabaeorum usurpetur. Pro aetatibus antiquioribus Scriptura chronologiam proprie non exprimit; sed tantum materiam quasi praebet praesertim in genealogiis et annis singularum personarum, ex quibus simul compositis summa annorum per varias epochas conficienda est. In quo tamen duae gravissimae occurrunt difficultates, prima ex eo quod in aetate patriarcharum definienda inter se discrepent textus hebraicus, samaritanus et graecus LXX, secunda ex eo quod incertum aliquando sit utrum in genealogiis nomina et aetas quorundam omissa fuerit, et in quibusdam epochis ipsae genealogiae deficiant, aut annos uniuscuiusque praetermittant, ut praesertim fit pro temporis spatio quod currit a morte Iosephi Patriarchae usque ad Moysen natum. Quapropter biblica chronologia accurata et undequaque certa non habetur nisi pro ultima aetate (1). De hisce difficultatibus paulo plura inferius dicemus.

Præcipuae epochae historiae biblicae sunt: 1° Creatio Adami, 2° Diluvium, 3° Vocatio Abraham, 4° Exitus ab Aegypto, 5° De-

(1) P. Petavius in *Rationario temporum* Part. II, lib. II, aggressurus disputationem de numero annorum qui a Creatione ad aeram Vulgarem elapsi sunt his verbis exorditur: « Annorum numerus, qui ad hanc aetatem ab Orbe condito fluxerunt nulla certa ratione, sed verosimili coniectura colligitur. Hinc illa in mundi annis putandis varietas auctorum, nemo ut fere sit, qui hoc in capite cum alterius opinione conveniat. Huius diversitatis una haec est, praecipuaque causa, quod annorum illorum calculus non aliunde quam ex sacrorum librorum historia delicitur: ea porro minus huiusmodi et explicatam temporum subductionem continet. »

dicatio templi Salomonici, 6° Finis Captivitatis Babylonicae. 7° Nativitas Christi. Unde tota historia sacra in sex aetates seu periodos usque ad Christum natum dispescitur. Circa tres posteriores aetates maior est chronologorum consensus: magnus autem dissensus circa tres priores, de quo nunc pauca sunt exponenda.

II. Ad discrimen chronologiae priorum aetatum quod attinet recolendum est summam annorum ab Adamo usque ad Moysen colligendam esse ex annis Patriarcharum, qui in Scriptura numerantur, nam dantur primo anni in quibus singuli filios genuerunt, tum etiam anni totius vitae: iamvero in his numerandis maxime differunt varii Scripturae textus. Textus hebraicus cum Vulgata latina numerat a Creatione ad Diluvium annos 1656, ad vocationem Abrahae 2083, ad mortem Iosephi 2369, ad nativitatem Moysi 2433, et ad Exodum 2513 (secundum supputationem Usserii). Textus Samaritanus numerat ab Adamo usque ad diluvium annos 1307 ad vocationem Abrahami 2324. Versio LXX numerat a creatione ad diluvium annos 2242, et usque ad vocationem Abrahami 3389. In reliquis etiam aetatibus quaedam licet levior discrepantia existit, ita ut, omnibus computatis, Christi nativitas incidat in annum plus minus 4000 secundum textum hebraicum, secundum LXX in annum 3493, secundum Samaritanos circa annum 4300 (1).

Ut chronologiae hebraicae ratio, eiusque a Samaritana et Graeca discrimen ex variis annorum Patriarcharum numeris exortum uno icu oculi percipi possit sequentes tabulas subicere visum est.

(1) Quamvis certum sit Samaritanam et Graecam chronologiam ab Hebraica discrepare, ipsae tamen satis incertae sunt ob testinum et exemplarium discrepantiam. Ita in codice Samaritano citato a Scaligero in notis ad Chronicon Eusebii, et a Soldano Praef. in Marm. Arundel. legitur Matusalem genuisse Lamech anno aetatis suae 77, sed in editione Parisiensi, et apud Petavium (*De doctrina Temporum* lib. IX, cap. 7) legitur genuisse anno 67, et Hieronymus in libro *Trad. hebraic.* affirmat secundum Samaritanos Matusalem genuisse anno 187. Ita etiam apud LXX, secundum vulgatas editiones legitur Adam genuisse Seth anno aetatis 230: at S. Iohannes Chrysostomus, et Iosephus Flav. in suis exemplaribus legebant 330, hinc ab Adamo ad diluvium non essent anni 2242, sed 2342; rursus autem Clemens Alexand. aliud legens in codicibus conficit summam annorum 2148. Chronologia porro hebraea in variis exemplaribus uniformior est, licet in supputandis annis levior differentia inter chronologos occurrat, quorum alii paulo ante annum 4000, alii ipso anno 4000, alii paucis post annis Christi ortum collocant; Petavius ponit a. 3983. (*Ration. Temp. Part. II, lib. 2 initio*).

TABULA PRIMA

CHRONOLOGIA HEBRAICI TEXTUS

| PATRIARCHARUM<br>NOMINA | Nascitur<br>anno<br>Mundi | Generat sequentem<br>anno aetatis | Moritur<br>anno aetatis | Moritur<br>anno<br>Mundi |
|-------------------------|---------------------------|-----------------------------------|-------------------------|--------------------------|
| 1 Adam                  | 1                         | 130 (Gen. V. 3)                   | 930 (Gen. V. 5)         | 930                      |
| 2 Seth                  | 130                       | 105 (Gen. V. 6)                   | 912 (ib. 8)             | 1042                     |
| 3 Enos                  | 235                       | 90 (Gen. V. 9)                    | 905 (ib. 11)            | 1140                     |
| 4 Cainan                | 325                       | 70 (Gen. V. 12)                   | 910 (ib. 14)            | 1233                     |
| 5 Malalel               | 395                       | 65 (ib. 15)                       | 893 (ib. 17)            | 1290                     |
| 6 Jared                 | 460                       | 162 (ib. 18)                      | 962 (ib. 20)            | 1422                     |
| 7 Enoch                 | 622                       | 65 (ib. 21)                       | 365 (raptus ib. 23)     | 987                      |
| 8 Mathusala             | 687                       | 187 (ib. 25)                      | 969 (ib. 27)            | 1656                     |
| 9 Lamech                | 874                       | 182 (ib. 28 seq.)                 | 777 (ib. 31)            | 1651<br>diluvium         |
| 10 Noe                  | 1056                      | 300 (ib. 31. XI. 10)              | 950 (ib. IX. 29)        | 2006                     |
| 11 Sem                  | 1358                      | 100 (ib. XI. 40)                  | 600 (ib. XI. 10 seq.)   | 2458                     |
| 12 Arphaxad             | 1658                      | 35 (ib. XI. 12)                   | 438 (ib. 12 et 13)      | 2096                     |
| 13 Sale                 | 1693                      | 30 (ib. 14)                       | 433 (ib. 14 seq.)       | 2126                     |
| 14 Heber                | 1723                      | 34 (ib. 16)                       | 464 (ib. 16 seq.)       | 2187                     |
| 15 Phaleg               | 1737                      | 30 (ib. 18)                       | 239 (ib. 18 seq.)       | 1996                     |
| 16 Reu                  | 1787                      | 32 (ib. 20)                       | 239 (ib. 20 et 21)      | 2026                     |
| 17 Sarug                | 1819                      | 30 (ib. 22)                       | 230 (ib. 22 23)         | 2049                     |
| 18 Nachor               | 1849                      | 29 (ib. 24)                       | 448 (ib. 24 25)         | 1997                     |
| 19 Thare                | 1878                      | 70 (ib. 26)                       | 203 (ib. 32)            | 2083                     |
| 20 Abraham              | 2008                      | 100 (ib. XXI. 4 seq.)             | 175 (ib. XXV. 7 seq.)   | 2183                     |
| 21 Isaac                | 2108                      | 60 (ib. XXV. 25 seq.)             | 180 (ib. XXXV. 28)      | 2288                     |
| 22 Iacob                | 2168                      | . . . . .                         | 147 (ib. XLIX)          | 2315                     |
| 23 Levi                 | 2254                      | . . . . .                         | 137 (ib.)               | 2391                     |
| 24 Amram                | incertum                  | . . . . .                         | 137 . . . . .           | . . .                    |
| 25 Moyses               | 2433                      | . . . . .                         | 120 (Deut. XXXIV. 7)    | 2553                     |

*Animadversiones in praecedentem tabulam.*

1. *Adam.* Cum ponimus Adami creationem anno 1<sup>o</sup> Mundi praescindimus a quaestione utrum mundus materialis ante Adamum creatus fuerit, de qua alias disseruimus. Hic itaque intelligimus annum 1<sup>um</sup> generis humani, a cuius initio exorditur biblica chronologia (1).

2. *Mathusala.* Ipso anno mortis Mathusalae secundum eandem Chronologiam accidit Diluvium universale, nempe anno 1656.

3. *Sem, Arphaxad, Sale.* Sem Arphaxad genuisse biennio post Diluvium expresse dicitur Gen. XI, 10, et 1 Paral. I, 17: hinc anno 1658. Inter Arphaxad et Sale in versione Graeca τὸν LXX interseritur nomen *Cainan*, quem etiam Lucas III, 36 in genealogia Christi pertexenda nominat.

4. *Thare, Abraham.* Gen. XI, 26 dicitur Thare cum vixisset 70 annos genuisse Abram, Nachor et Aran. Hinc nonnulli existimant Abram natum esse anno 70 Thare, proindeque anno M. 1948 idque acriter defendit Petavius De Doctr. temp. lib. IX, c. 18. Verum probabilius est Abraham natum esse anno 130 Thare, et mundi 208. Siquidem Gen. XI, 32 dicitur Thare mortuum esse in Haram, quo Abram eum secum adduxerat, annos natum 203, porro Abram *septuaginta quinque annorum erat* (Gen. XII, 4) cum, defuncto patre, egressus est ex Haran; si igitur 75 anni subtrahantur ab annis 203 vitae Thare, remanent anni 130 quo tempore Abram natus est. Quod autem dicitur in Gen. XI, 26 Thare genuisse anno 70 non est referendum ad Abram, sed ad unum ex aliis duobus ibi nominatis (non enim potuerunt omnes eodem anno nasci) qui videtur fuisse Aran, quo nato post multos annos alii duo nati sunt. Nominatur autem primo loco Abram non quia primogenitus, sed ratione dignitatis.

(1) Hic autem annus iuxta receptam Hebraeorum Chronologiam incidit in annum 710 Periodi Iulianae, qui est ante aeram Christianam 4004, et ante Christi nativitate fere 4000.

TABULA SECUNDA

VARIETAS CHRONOLOGIAE HEBRAICAE SAMARITANAE  
ET GRAECAE (\*)

| PATRIARCHARUM<br>NOMINA | Genit anno aetatis |                      |                          | Mortuus anno aetatis |                      |                          | Mortuus anno mundi |                      |                          |
|-------------------------|--------------------|----------------------|--------------------------|----------------------|----------------------|--------------------------|--------------------|----------------------|--------------------------|
|                         | Juxta<br>Hebraeos  | Juxta<br>Samaritanos | Juxta LXX<br>Interpretes | Juxta<br>Hebraeos    | Juxta<br>Samaritanos | Juxta LXX<br>Interpretes | Juxta<br>Hebraeos  | Juxta<br>Samaritanos | Juxta LXX<br>Interpretes |
|                         | 1 Adam             | 130                  | 130                      | 230                  | 930                  | 930                      | 930                | 930                  | 930                      |
| 2 Seth                  | 105                | 105                  | 205                      | 912                  | 912                  | 912                      | 1042               | 1042                 | 1142                     |
| 3 Enos                  | 90                 | 90                   | 190                      | 905                  | 905                  | 905                      | 1140               | 1140                 | 1240                     |
| 4 Cainan                | 70                 | 70                   | 170                      | 910                  | 910                  | 910                      | 1235               | 1235                 | 1335                     |
| 5 Malaleel              | 65                 | 65                   | 165                      | 895                  | 895                  | 895                      | 1290               | 1290                 | 1390                     |
| 6 Jared                 | 162                | 62                   | 162                      | 962                  | 847                  | 962                      | 1422               | 1307                 | 1522                     |
| 7 Henoch                | 65                 | 65                   | 165                      | 365                  | 365                  | 365                      | 987                | 887                  | 987                      |
| 8 Mathnsala             | 187                | 67                   | 167                      | 969                  | 720                  | 969                      | 1656               | 1467                 | 2242                     |
| 9 Lamech                | 182                | 83                   | 188                      | 777                  | 623                  | 793                      | 1631               | 1407                 | 2007                     |
| 10 Noë                  | 500                | 500                  | 500                      | 950                  | 950                  | 950                      | 2006               | 1877                 |                          |
| 11 Sem                  | 100                | 100                  | 400                      | 600                  | 600                  | 600                      | 2138               |                      |                          |
| 12 Arphaxad<br>Cainan   | 35                 | 133                  | 133                      | 438                  | 438                  | 333                      | 2096               |                      |                          |
| 13 Sale                 | —                  | —                    | 130                      | —                    | —                    | 460                      | —                  |                      |                          |
| 14 Heber                | 30                 | 130                  | 130                      | 438                  | 433                  | 460                      | 2126               |                      |                          |
| 15 Heber                | 34                 | 134                  | 134                      | 464                  | 404                  | 404                      | 2187               |                      |                          |
| 16 Phaleg               | 30                 | 130                  | 130                      | 239                  | 239                  | 339                      | 1996               |                      |                          |
| 16 Reu                  | 32                 | 132                  | 132                      | 239                  | 239                  | 339                      | 2026               |                      |                          |
| 17 Sarug                | 30                 | 130                  | 130                      | 230                  | 230                  | 330                      | 2049               |                      |                          |
| 18 Nachor               | 29                 | 79                   | 79                       | 148                  | 148                  | 204                      | 1997               |                      |                          |
| 19 Thare                | 70(130)            | 70                   | 70                       | 205                  | 145                  | 205                      | 2083               |                      |                          |
| 20 Abrahm (vocatio)     | 75                 | 75                   | 75                       | 175                  | 175                  | 175                      | 2183               |                      |                          |

(\*) Praecipuum discrimen versatur circa annum, quo singuli patriarchae sequentem genuisse dicantur, qui quidem apud textum Samaritanum nunc minor, nunc maior est, apud LXX plerumque maior hebraico.

Haec quidem de primis tribus mundi aetatibus, in quibus tantum genealogias Scriptura suppeditat, nullam autem certam aeram pro annorum supputatione. Pro aetatibus sequentibus aliquando numerantur anni ab Exodo, ut ex. gr. 3 Reg. VI, 1 ubi dicitur aedificationem templi a Salomone inceptam fuisse *quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti* (V. etiam 2 Paral. III, 27). Pro epocha Regum iterum genealogiae et anni singulorum Regum traduntur, ex quibus conficitur summa annorum 477 ab initio aedificationis templi usque ad finem captivitatis Babilonicae (ante aeram Christianam 536). In ultima epocha saepe computantur anni secundum Reges Persarum, ut in Libris Esdrae, vel secundum aeram *Seleucidarum* quae in libris Machabaeorum vocatur *regnum Graecorum*. Haec autem aera incipit a regno Seleuci qui post mortem Alexandri Magni Babyloniam, Mediam, Susianam ac finitimas regiones in suam redegit potestatem anno mundi 3692, ante aeram vulgarem 312: et haec est epocha quam sequuntur auctores Librorum Machabaeorum cum hoc discrimine quod auctor libri 1 eam computat a mense *Nisan* et tempore verno (annus sacer), auctor vero lib. 2 a mense *Tisri* et tempore autumnii (annus civilis), unde apparet illa contradictio circa initium regni Demetrii quod 1<sup>o</sup> Mach. VII, 1 ponitur a. 151 et in 2 Mach. XIV, 4 anno 450. De aera *Romanorum*, seu *ab Urbe condita*, et de aera communi Graecorum, seu *Olympiadum*, nullum in Scripturis vestigium occurrit (1).

(1) Notum est aeram *Romanam* quae notari solet literis U. C. (*Urbs conditae*) incipere anno ante aeram vulgarem 753 (Mundi 3251, Periodi Iulianae 3961) aeram autem *Olympiadum* incipere ab instauratione ludorum Olympicorum per Iphitum anno ante aeram vulgarem 776, ante Romae aedificationem 23 (Mundi 3228, Periodi Iulianae 3938); quaelibet Olympias quatuor annos complectebatur, quare in annis computandis tum numerus Olympiadis, tum eius annus in Graecorum libris exprimi solet; ita aera vulgaris incipit cum anno 1<sup>o</sup> Olympiadis 195<sup>o</sup>. Aliae aerae celebres in profana historia sunt: *Aera Nabonassaris* in historia Chaldaeorum, quae aera secundum probabilior sententiam statuenda est anno 747 ante aeram vulgarem. *Aera Monarchiae Persarum*, quae incipit a fundatione imperii Persarum per Cyrum anno 536 ante aeram vulgarem. *Aera Monarchiae seu imperii Graecorum*, quae vulgo statuitur anno 330 ante aer. vulg. quo anno Alexander M. devicto Dario, toto Oriente potitus est. Habent etiam Mohammedani aeram suam, quam *Hegiram* vocant, et incipit a fuga Mohammedis ex urbe Mecca

In Libris N. T. anni nunquam computantur a Christi Nativitate, sed exiguntur vel ad annos Imperatorum Romanorum (Luc. III, 1) vel ad epocham regum, tetrarcharum, aut praesidum Romanorum, qui tunc potestatem in Iudaeos exercebant.

*Aera Vulgaris* non coincidit exacte in annum *Natalis Christi*, ut olim credebatur, sed incipit saltem quinquennio post Christi ortum. Christus enim, secundum probabiliorē sententiā, natus est anno U. C. 747, 4<sup>o</sup> Olympiadis 193<sup>o</sup>, 40<sup>o</sup> Caesaris Augusti (1). At aera vulgaris incipit a Kalendis Ianuarii U. C. 754, 1<sup>o</sup> Olympiadis 195<sup>o</sup>, 45<sup>o</sup> Caes. Augusti. Hoc autem discrimen a Dionysio exiguo (Saeculo VI) repeti solet, qui omnia aera Diocletiani, seu aera Martyrum, quae diu in usu fuerat, coepit annos computare ab Incarnatione Domini, quam per errorem posuit anno U. C. 754, quare haec aera etiam Dionysiana vocata est: quamvis nonnulli animadvertant eius auctorem Ven. Beda haberi posse (Noris. *Dissert. 3 de Cyclo Pasch.* cap. 2). Christus igitur natus est quinque vel sex annis ante aeram vulgarem, praedicare coepit anno aerae vulgaris XXVI, passus et mortuus est anno XXIX, qui fuit a. 1<sup>o</sup> Olympiadis 202, Consulibus *duobus Geminis* (scilicet *Rebello Geminio*, et *C. Fusio Geminio*) secundum antiquiora et graviora monumenta (2).

Anno LXVII aerae vulgaris mors Principum Apostolorum Petri et Pauli locum habuit. Anno LXX Hierosolymsa a Romanis eversa

in urbem Medianam die 16 Iulii a 622 aerae Vulgaris, qui fuit annus XIII Heraclii Imperatoris. Sed haec innume sufficiat.

(1) Haec est sententia clarissimorum chronologorum Norisii, Capelli, Usserii, Nat. Alexandri, Gravesonii aliorumque.

(2) Huic epochae obstare videtur quod dicitur Luc. III, 1 Christum baptizatum fuisse anno XV imperii Tiberii Caesaris. Cum enim Tiberius imperium adeptus sit post mortem Augusti, qui decessit anno U. C. 767, id est, aerae vulgaris XIV, eius annus decimus quintus incidere in annum aerae Vulgaris XXIX, cui si addantur tres anni et aliquot menses vitae publicae Christi sequeretur Christum mortuum esse anno aerae vulgaris XXXIII, aetatis suae XXXVII (ut revera contendunt Usserius alique): quod tamen veterum traditioni contradicit, nec convenit cum Luc. III, 23. Ad hanc difficultatem solvendam distinguendum est duplex initium imperii Tiberii Caesaris, alterum nempe imperii proprio dicti cum Augustus declaratus est, alterum imperii Proconsularis, quod incepit aliquot annis ante Augusti mortem. Lucas autem ab hoc initio computasse censendus est.

est, incensum templum, et gens Iudaeorum cessavit existere secundum Danielis prophetiam (Dan. IX, 26).

Haec pauca sufficiant de aeris, et epochis historiae biblicae. Opportunum autem duximus hic subicere prospectum eiusdem historiae secundum communiter receptam chronologiam Usserii.

### ARTICULUS III.

#### PROSPECTUS CHRONOLOGICUS PRAECIPUORUM EVENTUUM BIBLICORUM (1)

| ANNI<br>A<br>CREATIONE<br>AD<br>ABRAHAM | ANNI<br>ANTE<br>AERAM<br>VULG. | EVENTUS PRAECIPUI HISTORIAE BIBLICAE  |
|---|--------------------------------|---|
| 1                                       | 4004                           | ADAM A DEO CREATUR, Heva formatur, et Adamo in coniugem datur.<br>Praevaricatio Adami et Hevae: expulsio ex Eden.<br>Abel a fratre occiditur. Maledictio Caini.<br>Cain urbem aedificat Henoch dictam.<br>Adam generat Seth. Filii Dei, et filii hominum. Filii Dei a Seth orti miscentur cum filiabus hominum. Corruptio universalis humani generis. |
| 1536                                    | 2448                           | Noe iustus generare incipit anno 500. Sem, Cham et Iapheth eius filii. Praedictio diluvii.  |
| 1656                                    | 2348                           | DILUVIUM UNIVERSALE incipit die 17 mensis secundi, et perdurat usque ad mensem secundum anni sequentis.   |
| 1637                                    | 2347                           | Noe egreditur ab arca, et sacrificium offert. Deus promittit nunquam amplius diluvium se immisurum, pactique signum iridem constituit. Noe et filii eius benedicit. Noe benedicit Sem, et Iapheth, ac maledicit Cham eiusque filio Canaan.<br>Humanum genus iterum multiplicatur ex tribus Noe filiis.  |
| circa<br>1770                           | circa<br>2230                  | Aedificatio turris Babelicae in campo Sennar. Confusio linguarum.   |

(1) Sequemur hic vulgo receptam chronologiam textus hebraei secundum systema Usserii. Si cui id non placet dicat, quaeso, quodnam chronologiae systema nos sequi mallet: vix enim duo sunt chronologiae innovatores qui in annis numerandis conveniant. Satis erit igitur a vulgata chronologia non recedere, praesertim cum praecipuae difficultates, et graviora discrimina cum aliis chronologiis superius indicata fuerint.

|      |      |   |
|------|------|---|
|      |      | Gentium dispersio. Fundatio regni Chaldaeorum; item regni Assyriorum.   |
|      |      | <i>Circa idem tempus initia regni Aegyptiorum, et Siniensium collocari possunt.</i>   |
| 2083 | 1921 | VOCATIO ABRAHAM. Benedictio, et promissio terrae Chanaan, et innumerabilis sobolis.   |
| 2133 | 1871 | Sacrificium Abrahami, et promissionum renovatio.  |
| 2245 | 1759 | Isaac Iacobo benedicit loco Esau.   |
| 2276 | 1628 | Ioseph a fratribus vendatur, et in Aegyptum asportatur, ubi a Pharaone praecipua potestate insignitur.  |
| 2298 | 1706 | Iacob senex cum filiis et reliqua familia migrat in Aegyptum.   |
| 2315 | 1689 | Mors Iacob in Aegypto.  |
| 2369 | 1635 | Mors Iosephi Patriarchae in Aegypto.<br>Dura oppressio Hebraeorum sub alio Pharaone.  |
| 2433 | 1571 | Moses nascitur, et ex aquis ereptus in aula Pharaonis educatur.<br>Deus Moysi apparet in Horeb, eumque ad Pharaonem mittit. Decem plagae Aegypti.           |
| 2513 | 1491 | EXODUS HEBRAEORUM AB AEGYPTO. Transitus maris rubri. Demersio exercitus Pharaonis.<br>Lex Moysi traditur in monte Sinai. Peregrinatio per desertum.         |
| 2553 | 1451 | Moses moritur in vertice montis Phasga.<br>Iosue Moysi succedit, et Iordane prodigiose transiecto populum in terram promissam introducit.                   |
| 2554 | 1430 | Bella cum Chananaeis.   |
| 2559 | 1445 | Distributio terrae Chanaan inter duodecim tribus.   |
| 2561 | 1443 | Moritur Iosue. Incipit epocha Iudicum.  |
| 2562 | 1442 | Bellum civile contra Beniamitas. Frequentes servitutes populi sub regibus finitimis, et liberatio per Iudices.<br>Othoniel, Aod, Sangaar, Debora et Barach. |
| 2739 | 1245 | Gedeonis electio. Eius triumphus de Madianitis.<br>Abimelech, Thola, Iair et Iephte, Abesau, Abialon, Abdon.  |
| 2850 | 1134 | Samson eiusque gesta contra Philistaeos.  |
| 2860 | 1144 | Eli summus pontifex et iudex. Samuel propheta.  |
| 2909 | 1095 | Saul in regem inungitur a Samuele. Incipit epocha Regum.  |
| 2941 | 1063 | David adolescens in regem eligitur. Eius victoria de gigante Goliath. A Saule ad necem quaeritur.   |
| 2949 | 1035 | Moritur Saul in bello. David regno potitur.<br>Peccatum et poenitentia Davidis. Promissio de Messia ex eius stirpe nascituro.                               |

|      |      |   |
|------|------|---|
| 2990 | 1044 | Salomon Davidi patri succedit in regno.   |
| 3000 | 1004 | AEDIFICATIO TEMPLI. Inchoata anno IV regni Salomonis, absolvitur anno XI.             |
| 3004 | 1003 | Templi Salomonici dedicatio.  |
| 3029 | 975  | Roboam Salomonis filius inconsulto animos civium a se avertit. Schisma decem tribuum. |

|      |     | Reges Iuda   | Reges Israel  |
|------|-----|--|---|
| 3030 | 974 | 1 Roboam regnat an. 17.  | 1 Ieroboam regnat an- nos 22.   |
| 3046 | 958 | 2 Abias regnat annos 3.  |   |
| 3049 | 955 | 3 Aza regnat annos 41.   |   |
| 3050 | 954 | .....  | 2 Nadab incipit regnare ante mortem patris Ieroboam a Deo percussus.      |
| 3032 | 952 | .....  | 3 Baasa succedit in regnum occiso Ieroboamo, et Nadab cum familia.        |
| 3063 |     | Hoc anno Aza reformat mores et cultum ex consilio Azariae prophetae.   |   |
| 3074 | 930 | .....  | 4 Ela regnat annos duos.  |
| 4076 | 928 | .....  | 5 Zamri septem dies.  |
| >    | >   | .....  | 6 Amri regnat annos 12.   |
| 3087 | 917 | .....  | 7 Achab regnat a. 22. Idolatriam fovet, impiamque Iezabelem uxorem ducit. |
| 3090 | 914 | Aza moritur.<br>4 Iosaphat pius rex regnat annos 25. Tempore Iosaphat, Achab, Ochoziae, et Ioram floruerunt Elias et Elisaeus prophetae in regno Israel. |   |
| 3106 | 898 | .....  | 8 Ochozias cum patre regnare incipit: regnat ann. 2.                      |
| 3108 | 896 | .....  | 9 Ioram regnat ann. 12.   |
| 3112 | 892 | 5 Ioram cum patre regnare incipit et regnat annos 7.   |   |
| 3119 | 885 | 6 Ochozias regnat annum 1.   |   |

|      |     |  |   |
|------|-----|--|---|
| 3120 | 884 | 7 <i>Athalia</i> invadit regnum: familiam Iorami destruit. Regnat annos 6.   | 10 <i>Iehu</i> a propheta inunctus rex, destruit familiam Achabi, et regnat annos 28. |
| 3126 | 878 | 8 <i>Ioas</i> puer e strage ereptus, rex constituitur, et <i>Athalia</i> occiditur. Regnat ann. 40.  |   |
| 3140 | 856 | <i>Zacharias</i> sacerdos et propheta occiditur.   | 11 <i>Ioachaz</i> regnat annos 17.  |
| 3165 | 839 |  | 12 <i>Ioas</i> regnat ann. 16.  |
| 3166 | 838 | 9 <i>Amasias</i> regnat annos 29.  | 13 <i>Ieroboam</i> II regnat annos 41.  |
| 3195 | 809 | 10 <i>Ozias</i> , sive <i>Azarias</i> , regnat annos 51.<br>In diebus Oziae et sequentium regum Iuda, ac Ieroboami II regis Israel <i>Oseas</i> diutissime prophetauit. Item <i>Ioel</i> , <i>Amos</i> , <i>Abdias</i> . | Interregnum et anarchia annos 41.   |
| 3232 | 772 |  | 14 <i>Zacharias</i> regnat 6 menses.  |
| >    | >   |  | 15 <i>Sellum</i> , <i>Zacharia</i> interfecto, regnat mensem 1.                       |
| 3233 | 771 |  | 16 <i>Manahem</i> regnat annos 10, adiuvante Phul rege Assyriorum.                    |
| 3245 | 759 |  | 17 <i>Phacee</i> regnare incipit anno 50 <i>Oziae</i> , et regnat annos 20.           |
| 3246 | 758 | 11 <i>Ioatham</i> patri succedit anno secundo Phacee: regnat annos 16. Sub <i>Ioatham</i> , et duobus eius successoribus prophetavit <i>Micheas</i> .  |   |
| 3254 | 753 | <i>Fundatio urbis Romae</i><br>12 <i>Achaz</i> <i>Ioatham</i> succedit anno 17 Phacee, et regnat annos 16.<br>Epocha <i>Isaiae</i> prophetae   |   |
| 3255 | 739 |  | 19 <i>Osea</i> regnum invadit anno 4 <i>Achaz</i> , sed eo potitur sub finem anni 12. |

|      |     |  |   |
|------|-----|--|---|
| 3277 | 727 | 13 <i>Ezechias</i> ab anno 3 <sup>o</sup> <i>Oseae</i> regnare incipit, et regnat an. 27.  |   |
| 3282 | 722 |  | Finis regni Israel.<br>Anno 9 <sup>o</sup> <i>Oseae</i> , et 5 <sup>o</sup> <i>Ezechiae</i> rex Assyriorum capta Samaria decem tribus captivas abducit.<br>Prophetia <i>Nahum</i> . |
| 3291 | 713 | Destructio exercitus <i>Sennacheribbi</i> per angelum anno 14 <i>Ezechiae</i> .  |   |
| 3306 | 698 | 14 <i>Manasses</i> puer <i>Ezechiae</i> succedit: regnat annos 55.   |   |
| 3361 | 643 | 15 <i>Ammon</i> <i>Manassi</i> succedit: regnat annos 2.   |   |
| 3363 | 641 | 16 <i>Iosias</i> patri succedit: regnat annos 31.  |   |
| 3373 | 629 | <i>Ieremias</i> ad munus propheticum vocatur anno 13 <sup>o</sup> <i>Iosiae</i> . Item <i>Sophonias</i> et <i>Baruch</i> .   |   |
| 3394 | 610 | Eversio <i>Nive</i> per <i>Nabopalassar</i> et <i>Asyagam</i> .<br>17 <i>Ioachas</i> succedit <i>Iosiae</i> a <i>Nechao</i> rege Aegypti occiso.<br>18 Post tres menses <i>Eliacim</i> , seu <i>Ioachim</i> , ab eodem <i>Nechao</i> rex constituitur.   |   |
| 3397 | 607 | Primum initium imperii <i>Nabucho-donosor</i> filii <i>Nabopalassar</i> (Ier. XV, 4) una cum patre.  |   |
| 3398 | 606 | Initium captivitatis <i>Babylonicae</i> 70 annorum. Anno 4 <i>Ioachim</i> <i>Nabucho-donosor</i> Iudaeam invadit, et regem <i>catenis</i> vincit: <i>turbam</i> Iudaeorum in <i>Babyloniam</i> abducit. <i>Daniel</i> et tres socii <i>Babylonem</i> asportantur.  |   |
| 3399 | 605 | Secundum initium imperii <i>Nabuchodonosor</i> post mortem patris (Dan. II, 4).  |   |
| 3401 | 603 | <i>Ioachim</i> <i>Chaldaeorum</i> iugum excutere tentat: capitur et occiditur.<br>19 <i>Ioachim</i> , sive <i>Iechonias</i> , patri <i>Ioachim</i> succedit, et regnat menses tres, et dies 10.<br><i>Nabucho-donosor</i> aliam <i>turbam</i> Iudaeorum transfert: item <i>Iechoniam</i> cum matre et proceribus Iudaeorum.<br>20 <i>Mathanias</i> patris <i>Iechoniae</i> in eius locum substituitur, mutato nomine in <i>Sedeciam</i> . Regnat annos 11. |   |



- 3409 595 Incipit prophetare *Ezechiel* in Chaldaea.  
 3416 588 Exercitus Nabucho-donosor tertio Iudaeam invadit: evertitur Ierosolyma: succenditur templum Salomonis post annos ab aedificatione 424: Sedecias cum reliquo populo Babylonem transferitur.  
*Daniel* regis gratiam init: provinciae praefectus constituitur, item tres socii Ananias, Azarias et Misael.  
*Finis imperii Chaldaeorum* opera Darii Medi, et Cyri regis Persarum.  
 3468 536 FINIS CARTHIVITATIS BABYLONICAE anno 1<sup>o</sup> Cyri Iudaeorum turba duce Zorobabele in patriam redeunt, altare aedificant, sacrificiorum ritus resumunt.  
 3469 535 Templi fundamenta iaciunt, sed opus suspendere coguntur.  
 3485 519 Anno 2<sup>o</sup> Darii Hystaspis resumitur aedificatio templi. *Aggaeus* et *Zacharias* prophetant, et opus aedificationis urgent.  
 3537 467 Anno 7<sup>o</sup> Artaxerxis Longimani *Esdra*s sacerdos in Iudaeam venit, cultum religionis ordinat, et rempublicam administrat.  
 3550 454 *Nehemias* in Iudaeam venit, facultate ab Artaxerso accepta moenia urbis extruendi. Hoc anno, qui est Artaxerxis XX, incipiunt LXX hebdomades *Danielis* (Dan. IX). Moenia urbis complentur diebus 52, et dedicantur (2 Esdr. VI et XII).  
 3579 425 *Xerxes* succedit Artaxerxi. Hic forte est Assnerus, sub quo historia *Esther* accidit.  
 3674 330 *Alexander Magnus* devicto Dario Codomanno finem imponit imperio Persarum.  
 Initium monarchiae Graecorum.  
*Samaritani* per Sanaballat veniam ab Alexandro impetrata celebre templum aedificant in monte Garizim.  
 3680 324 *Moritur Alexander.*  
 3692 312 Dividitur imperium inter duces Macedones. Ptolemaeus Aegypto, Seleucus Babylonia, deinceps Syria potitur.  
 Incipit *aera Seleucidarum.*  
 3829 175 *Antiochus Epiphanes* fideles Iudaeos dire prosequitur.  
 3837 167 *Mathathias* sacerdos cum filijs vexillum erigit contra persequitorem.  
 Praelia Machabaeorum contra exercitus, et duces regnum Syriae.  
 3840 164 *Iudas Machabaeus*, devictis hostibus, templum a gentibus violatum post triennium purgat, et solemniter dedicat. Statuitur festum *Encaeniorum.*

- 3843 161 Foedus cum Romanis init.  
 3860 144 *Ionathas* Iudae succedit. Foedus cum Romanis, et Spartiatis renovat.  
 3861 143 Occiso Ionathae succedit *Simon* frater.  
 3869 135 *Ioannes Hircanus* Simoni patri succedit.  
 3864 130 Caeso Antiocho Sidete, regiam potestatem ac titulum assumit.  
 3896 108 Samariam capit, solo aequat, templum Garizim evertit.  
 3898 106 Hircanus moritur post regni annos 29.  
 Succedit Hircano *Alexander Iannaeus*: cui succedit *Alexandra* uxor.  
 3938 66 *Hircanus II* Alexandriae matri succedit: discordia cum Aristobulo fratre.  
 3941 63 Romani interveniunt. *Pompeius*, expugnata Ierosolyma, principatum et pontificatum Hircano confirmat, sed Romanae reipublicae tributarium facit.  
 Discordiae inter Pompeium, Iulium Caesarem et Crassum.  
 3946 58 Caesar, devicto Pompeio, solus imperat.  
 3960 44 *Caesar* Romae necatur in curia. *Octavianus* nepos, una cum M. Antonio et Lepido rempublicam administrant.  
 3966 38 *Herodes Idumaeus* gratiam init M. Antonii, et ab eo Romae titulum regis Iudaeorum accipit, Ierosolymam expugnat, proprium filium ex Mariamne susceptum necari iubet, Hircanum morti damnat.  
 circa 5<sup>o</sup> 4000 Nasceretur *Christus* ex Maria Virgine anno 5<sup>o</sup> ante aeram vulgarem desinente.  
 4003 *Strages Innocentium.* Fuga in Aegyptum.  
*Mors Herodis.* Succedit Archelaus filius titulo Ethnarchae, duo alii filii Herodes Antipas et Philippus tetrarchias accipiunt.  
 Reditus sacrae familiae ex Aegypto.  
 4004 AERAE VULGARIS INITIUM.  
 4010 Archelao in exilium pulso, Romani procuratores Iudaeam administrare incipiunt. Pontius Pilatus.  
*Moritur Augustus.* Succedit *Tiberius* Caesar.  
 4018 14 Christi Baptismus in Iordane. Initium vitae publicae.  
 4030 26 *Mors Christi* in Cruce. Resurrectio. Ascensio.  
 4033 29 Conversio S. Pauli.  
 4046 42 Adventus Petri Romam. Cathedrae Romanae fundatio.  
 4065 61 Pauli primus adventus Romam: biennio in custodia manet.  
 4070 66 Secundus adventus Pauli Romam in vinculis.  
 4071 67 Martyrium Petri et Pauli Romae iussu Neronis.  
 4074 70 Ierosolymae eversio per Titum; templi destructio; gentis hebraicae exterminium.